



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ,
perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...


De Peccatis Et Gratia

Vindalium, 1646

Sectio I. Quomodo naturam corruperit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38789

DE PECCATIS, CAP. XII. 163.
tio gratiæ. Respondeo, peccatum origi-
nale non esse quamcunque priuationem
gratiæ, sed priuationem gratiæ, ob pec-
catum primi parentis; qua ratione non
est in baptizatis, sed propter personale
ipsorum peccatum. Vnde collige, pecca-
tum primi parentis, licet non sit intrin-
secū peccato originali, vt supra ostendi-
mus, per illud tamen connotari; ideo vt
essentia peccati originalis perfectè non
intelligatur, sine tali connotatione.



CAPVT XIII.

De effectibus peccati.

SECTIO I.

Quomodo naturam corruperit.

CONCLUSIO I.

Natura humana aliquo modo cor-
rupta est per peccatum.) De hoc
agit S. Doctor 2. 2. quæst. 85. c. 1.
art. 1. docet, tria esse bona naturæ, quo-
rum primum nec tollitur, nec minuitur

per peccatum; secundum non tollitur quidem, sed diminuitur; tertium verò per peccatum primi parentis totaliter est ablatum. In primo genere boni constituit ipsa principia naturæ, & proprietates ex iis manantes. In secundo, inclinationem quam habet homo naturaliter ad virtutem, quæ per actus vitij oppositos minuitur. In tertio, donum originalis iustitiæ, quod in primo homine toti humanæ naturæ collatum fuit.

Notandum autem 1. ex art. 2. totum bonum humanæ naturæ non posse auferri per peccatum, siquidem bonum naturæ quod per peccatum diminuitur, est naturalis inclinatio ad virtutem, quæ quidem conuenit homini ex eo quod est rationalis; hinc enim habet quod operetur secundum rationem, quod est agere secundum virtutem; per peccatum autem non potest ab homine tolli, quod sit rationalis; quia iam non esset capax peccari. Vnde non est possibile, quod prædictum naturæ bonum totaliter tollatur.

Notandum 2. ex art. 3. conuenienter numerari quatuor naturæ vulnera, ex peccato primi parentis consequentia, nempe infirmitatem, ignorantiam, malitiam, & concupiscentiam. Ratio est, quia cum per peccatum amissa sit iustitia origina-

DE PECCATIS. CAP. XIII. 165

lis, quæ subiiciebat inferiores animæ vires rationi, & hanc Deo, hinc factum est, vt omnes potentia animæ maneat quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, eaque destitutio, vulneratio naturæ dicitur. Sunt autem quatuor potentia animæ, quæ possunt esse subiecta virtutum, scilicet ratio, in qua est prudentia; voluntas, in qua est iustitia, irascibilis, in qua est fortitudo; & concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantia; in quantum verò voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitia; in quantum autem irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis; & tandem in quantum concupiscentia destituitur suo ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentia.

Notandum 3. ex art. 9. mortem, aliosque defectus corporales naturæ humanæ, non esse per se effectus peccati primi parentis; quia scilicet sunt præter intentionem peccantis: esse tamen effectus per accidens, nimirum renouendo prohibens, eo modo quo diuellens columnam, per accidens mouet lapidem columnæ superpositum: nam per peccatum illud subla-

ta est originalis iustitia, per quam non solum inferiores animæ vires continebantur sub ratione, absque omni deordinatione, sed etiam totum corpus continebatur sub anima, absque omni defectu. Quare sicut vulnerata est humana natura, quantum ad animam, per deordinationem potentiarum: ita est corruptibilis effecta, per deordinationem ipsius corporis.

CONCLUSIO II. Peccatum causat aliquam maculam in anima.) Hoc probat S. Doctor 1. 2. quæst. 87. art. 1. quia sicut corpus nitidum, ex contactu alterius corporis, perdit suum nitorem, & maculam contrahit; ita anima, quia peccando adhæret rebus quibusdam, contra lumen rationis, & diuinæ legis; ex ea adhæssione, quæ est veluti quidam tactus, amittit nitorem illum quem habet, ex refulgentia naturalis, & diuini luminis, per quod dirigitur in operationibus suis. Notat autem art. 2. maculam manere in anima post actum peccati, quia vt dictum est, macula importat quendam defectum nitore, propter recessum à lumine rationis, & diuinæ legis; & ideo quando homo manet extra huiusmodi lumen, manet in eo macula peccati; sed postquam redit ad lumen rationis, & ad

DE PECCATIS. CAP. XIII. 167

Lumen diuinum, per motum quendam voluntatis priori motui contrarium, tunc macula cessat.

Quæres, quid sit macula illa quam homo peccando contrahit, quæque post actuale peccatum perseuerat in anima, hominemque denominat sordidum, maculatum, & habitualiter peccatorem. Respondeo, maculam illam nihil aliud esse quàm ipsum peccatum actuale, quatenus quoad suam malitiam moraliter perseuerat, etiam transacto ipso actu, iamque peccatum habituale denominatur. Non enim apparet, quid aliud esse possit prædicta macula, siquidem post actum peccati, nihil ex eo superest in anima quàm vel priuatio gratiæ, vel reatus poenæ, vel habitus realis ab eo productus: at macula peccati non est priuatio gratiæ, cum ille qui versatur in peccato mortali, per nouum peccatum mortale contrahat nouam maculam, neque tamen priuetur gratia. Iustus etiam per peccatum veniale aliquam maculam contrahat, non tamen priuetur gratia.

Non etiam peccati macula sita est in reatu poenæ, seu in obligatione soluendi poenam peccato commisso debitam. Nam macula illa est peccatum, vt vel ex eo patet, quòd tollatur per Sacramenta

Baptismi, & Pœnitentiæ, quæ fides docet, ad remissionem peccatorum instituta esse. At reatus pœnæ non est peccatum, sed quid posterius peccato; cum non ideo quis sit peccator, quia pœnam meretur, sed potius ideo pœnam meretur, quia peccator est.

At neque dici potest, maculam illam esse habitum realem, ex actu peccati productum; tum quia non ex omni actu peccati producitur habitus, nullum autem est peccatum, quod non relinquat maculam; tum quia per pœnitentiam tollitur peccati macula, at habitus prauus adhuc remanet. Quare à sufficienti enumeratione concludimus, maculam peccati nihil aliud esse formaliter, quàm ipsum peccatum actuale, quatenus moraliter perseverat, nondumque per pœnitentiam est retractatum, aut remissum per gratiam. Quod rursus ex eo suadetur, quia macula illa est peccatum, ut dictum est, at non aliud quàm quod præterit, quia alioqui quicunque peccaret actu, duobus peccatis distinctis obnoxius esset: neque etiam est peccatum illud præteritum ut sic cum macula adhuc maneat: ergo est peccatum præteritum, ut moraliter perseverans. Confirmatur, nam homo dicitur mori in peccato quod non retractavit,

D E PECCATIS. CAP. XIII. 169
retractavit, & propter illud damnari:
macula ergo in qua moritur, nihil est
aliud quàm peccatum præteritum adhuc
perseuerans.

S E C T I O II.

De reatu & pœna peccati.

C O N C L U S I O I.

R Eatus pœnæ est effectus peccati. Ita
S. Thomas 1. 2. quæst. 87. art. 1.
quod probat, quia videmus in rebus na-
turalibus, & humanis, quicquid contra
aliquem ordinem insurgit, ab eo ordi-
ne & principe ordinis deprimi; at qui
peccat, agit contra triplicem ordinem,
rationis, legis humanæ, & diuinæ; quare
triplicem pœnam incurrit, vnã quidem
à seipso, quæ est conscientiæ remorsus,
aliã ab homine, tertiam verò à Deo.

Quæret hic aliquis, an peccatum pos-
sit esse pœna peccati. Ad quod S. Thomas
art. 2. responderet cum distinctione. Nam
per se loquendo, peccatum nullo modo
potest esse pœna peccati; quia de ratio-
ne peccati est, vt sit voluntarius, de ra-
tione autem pœnæ, vt sit contra volun-
tate Pecc. H